


C E N S V R A
S A C R Æ F A C V L T A T I S
T H E O L O G I Æ P A R I S I E N S I S,
in Librum cui titulus est,

AMADÆI GVIMENII LOMARENSIS
olim primarij Sacræ Theologiæ Professoris opusculum,
singularia vniuersæ ferè Theologiæ Moralis complectens :
aduersùs quorundam expostulationes contra nonnullas
Iesuitarum opiniones Morales ad Tractatus de Peccatis; De
Opinione probabili, &c. Editio nouissima, &c. Lugduni,
sumptibus Phil. Borde, Laurentij Arnaud, Petri Borde, &
Guillelmi Barbier, 1664. cum Appr. & Superiorum permissu.

H. J. r. 55.

(56)



P A R I S I I S,
Excudebat Antonius Vitré, Regis, & Cleri
Gallicani Typographus.

M. DC. LXV.
S V P E R I O R V M P E R M I S S V.

C E N S U R A

SACRE FACULTATIS

THEOLOGICÆ PARISIENSIS

in Librum cui titulus est,

AMADÆI GIMENVII ROMANENSIS

olus primarij Sacre Theologiæ Professoris opusculum,
singularem universæ sacre Theologiæ Axiomaticæ compendium;
adversus præsumptam expositionem contra novissimas
scripturas propheticas Alacris ad Thibaudum de Parisiis De
Operatione prophetiæ, &c. Editio novissima, &c. Lugduni
Jussibus Phil. Borde, Laurentij Krieger, Parisiis Borde, &c.
Guillelmi Bapty, &c. cum A. P. & Supplementis novissimis.



P A R I S I I S

Excudebat Antonius Viret, Regis, & Clerici

Gallicani Typographus.

M. DC. LXXV.

27 FEBRUARII M. DCC. LXXV.



CENSURA SACRÆ FACULTATIS

Theologiæ Parisiensis, in Librum cui titulus est,
 AMADÆI GVIMENII Lomarensis olim primarij
 Sacræ Theologiæ Professoris opusculum, singularia
 vniuersæ ferè Theologiæ Moralis complectens: aduer-
 sùs quorundam expostulationes contra nonnullas Ie-
 suitarum opiniones Morales ad Tractatus de Peccatis;
 De Opinione probabili, &c. Editio nouissima, &c.
 Lugduni, sumptibus Phil. Borde, Laurentij Arnaud,
 Petri Borde, & Guillelmi Barbier, 1664. cum Appr.
 & Superiorum permissu.



IMMANEM Pseudo-Theologorum de rebus
 moralibus scribendi libidinem, Summi Pon-
 tificis Alexandri VII. omniumque ferè Gal-
 licanæ Ecclesiæ Præsulum auctoritate, ac suâ
 Censurâ, in damnata Casuitarum Apologiâ
 compressam penitus æstimauerat Sacra Facul-
 tas Parisiensis. Neque sibi ampliùs quicquam in tam sancto
 negotio agendum superesse autumabat, nisi vt sancti Augu-
 stini freta consiliis *aternùm diligeret homines, quorum inter-*
fecerat errores, & sine superbiâ de veritate præsumeret, qua sine
seuitiâ pro veritate certauerat, ac pro illis oraret quos redargue-
rat atque conuicerat. Cùm ecce tranquillitatis Ecclesiasticæ
 hostis acerrimus, nec tam Casuitarum quàm spurcitiarum
 omnium scelerumque Patronus, suis è latebris laruatâ fron-
 te prodiit Amadæus Guimenius; qui se ex eorum esse nu-
 mero satis superque comprobauit, quos in nouissimis tem-
 poribus surrecturos prædixit Apostolus, *Attendentes spiriti-*
bùs erroris, & doctrinìs demoniorum in hypocrisi loquentium
mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam,

S. August.
 lib. 1. contra
 litt. Petil.
 c. 29.

1. ad Timot.
 4.

2. ad Ti-
moth. 3.

errantes & in errorem mittentes. Edidit quippè ille author opusculum, seu potiùs anti-Euangelium in rebus spurcissimis obscenâ curiositate ac sagacitate indagandis horrendum: vt mirum sit alicujus pudoris hominem, quique primarij Theologiæ Professoris sibi nomen affingit, tot monstra efformare ac scribere potuisse, quæ modestioris ingenij vir sine rubore ac verecundiâ legere non possit. Neque suos modò errores propalare de industriâ tentauit; verum etiam aliorum ejusdem fursuris scriptorum fœces, apertis nescio cujusdam, quam ab extrinseco vocant, probabilitatis canalibus, in corda fidelium effundere conatus est. Quamobrem cum anno Domini 1664. die primâ mensis Septembris, Honorandus M. N. ANTONIVS DE BREDÀ ejusdem Facultatis Doctor & Syndicus, in solenni Congregatione habitâ in aulâ majore Collegij Sorbonæ, post Missam de Spiritu sancto, vt moris est, factam, librum ad Facultatem detulisset, cui hic titulus erat inscriptus: *Amadai Guimenij Lormarensis olim primarij Sacre Theologiæ Professoris opusculum, singularia vniuersa ferè Theologiæ Moralis complectens: aduersus quorundam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum opiniones Morales ad Tractatus de Peccatis; De Opinione probabili, &c. Editio nouissima, &c. Lugduni, sumptibus Phil. Borde, Laurentij Arnaud, Petri Borde & Guillelmi Barbier 1664. cum Appr. & Superiorum permisso.* Cumque idem honorandus M. N. Syndicus scandala exposuisset quibus quotquot sunt viri frugi, atque Euangelicæ disciplinæ amatores sinceri, occasione horribilis libelli, afficerentur. Sacra Facultas, pro eâ quâ pollet autoritate, non vno, sed pluribus seculis totius orbis Christiani consensu probatâ, Apostolici dicti potissimum memor, quo sibi præscriptum nouit, vt eos *arguat & increpet in omni patientia & doctrina, qui sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coaceruant sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate auditum auertunt*, intelligitque necesse esse vt Doctores verè Christiani tanquam boni Ministri CHRISTI IESU, *enutriti verbis fidei & bonæ doctrinæ, eos redarguant, qui docent quæ non oportet, turpis lucri gratiâ: atque adeò à sancto*

2. ad Ti-
moth. 4.

2. ad Ti-
moth. 4.
Ad Titum
1.

Cypriano

Cypriano edocta *imperiti esse medici tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectare* : Hujus libri examinandi prouinciam tredecim selectis Doctoribus cum D. Decano ac Syndico commisit. Qui quidem cum reperitas inter se collationes per mensem integrum habuissent, in solenni Congregatione apud Sorbonam, post Missam de Spiritu sancto, ut moris est, celebratam, plurimas propositiones ex prædicto libro in indiculum collectas primum Facultati retulerunt die 1. mensis Octobris. Quas propositiones Sacra Facultas *numquam errari æstimans in defensione nimiam veritatis, & in rejectione nimiam falsitatis*, ex famoso illo Amadæi Opusculo excerptas typis mandari iussit, easque siue ab authore propugnatas, siue non defensas, infelici tamen illius solertiâ contra mentem, & ad mentem ejus ex variis scriptoribus ab ipso depromptas, adeoque externæ, quam tueretur, probabilitatis fundamentis fulcitas ac stabilitas examinandas censuit : ut vno censuræ ictu non vnicum modò scriptorem, sed & alios quoscumque fumosæ laxiorisque Theologiæ Agyrta percuteret, qui, ut rectè ait sanctus Cyprianus, *cum felices homines dicunt, illos in errorem mittunt; cum peccantes blandimentis adulantibus palpant, peccandi fomitem subministrant, nec delicta comprimunt sed nutriunt*. Ac ne quis forsan illud minùs æquum existimet quòd Sacra Facultas propositiones nonnullas ex eodem libello excerptas damnauerit, quas author nec probare nec improbare, imò & aliquando repudiare videtur; omnes monitos vult, hunc Amadæi in miserabili illa *lucubratiunculâ fuisse scopum*, ut Casuitarum quorumlibet patrociniū susceperet, atque *omnibus*, quemadmodum ipse in operis sui præfatione testatur, *Theologia Professoribus veritatis speculum Iesuiticæ, absque nauo referens, doctrinæ vultum suo objiceret opusculo*. Quamobrem postquam in operis sui prælimine Propositiones, *quæ ut improbabilis, scandalosa, temeraria, & erronea, & Iesuitarum commenta in libro Anonymi notantur*, vindicandas aggressus est, hanc toti suo operi coronidem imponit. Ex dictis jam apparet qua veritate, quo jure, quo Zelo Anonymus in suo garriat libello propositiones præobjectas, &c.

S. Cyprian.
l. de Lapsis.

S. Aug. l. de
mendacio
cap. 1.

S. Cyprian.
l. de Lapsis.

In Præfatione
Amadæi
Guimenij.
In eadem
Præfat.

Amad.
Guimenij.
Pag. 286.

falsas, improbables, scandalosas, temerarias & erroneas, &c. Quomodo enim scandalosa & erronea quas Ecclesia in tot tantisque Doctoribus opiniones non corrigit, &c. nullibi ergo scandalum, nullibi error. Ex quo apertè intelligitur, id præsertim hoc suo libello molitum fuisse Amadæum, ut omnes illas Propositiones ab omni censurâ immunes, atque externæ probabilitatis munimine tutas præstaret. Cùm igitur iidem deputati à Sacra Facultate Doctores sæpius inter se super illis propositionibus convenissent, notisque affectas ad Facultatem detulissent, eadem Facultas toto negotio pro more, in deliberationem per D. Decanum, in quatuordecim Comitibus generalibus misso, de prædictis propositionibus selectis & examini subjectis sic censuit.

PROPOSITIONES EXCERPTÆ

ex Libro AMADÆI GVIMENII, &c.

DE EBRIETATE.

Pag. 3.
n. 1.



IRVM non est, quod hi Doctores doceant ebrietatem esse licitam ad vitandam mortem, quando alij ad conseruandam etiam salutem licere putant.

Pag. 70. Ad euitandum graue malum, quod aliter vitari non potest, licitum est inebriare authorem.

Pag. 108. n. 2. Ex quo principio, se inebriantem ad vitandam mortem ab extrinseco, aliter imminentem, excusant à culpa.

CENSURA.

Doctrina his propositionibus contenta, est falsa, scandalosa, & contraria verbis Apostoli.

DE CONTVMELIA.

Pag. 86. n. 2. & 3. Quando contumeliosus non speratur se cohibiturus, sed perstiturus in contumelia semel dicta, aut aliàs aggressurus; is qui eam patitur, potest licitè illi dicere: *Mentiris, &c.* Et sanè difficile videtur quòd hoc non liceat.

C E N S V R A.

Hæc propositio, intellecta hoc sensu, quòd liceat dicere, Mentiris, per modum conuicij, falsa est, & Scriptura sacra contraria.

D E H O M I C I D I O.

Pag. 6. Licitum est desiderare alteri mortem, & de illa gaudere, non quatenus illi mala, sed quatenus tibi bona: verbi gratia, vt ei in bonis succedas.

Pag. 7. n. 2. A mortali excusatur mater, quæ mortem filiabus exoptat, quia occasione ipsarum, malè secum agitur à marito, aut injuriis afficitur.

Pag. 87. n. 3. Eum qui imponit falsum testimonium alicui, vt suam justitiam, & honorem defendat, non peccare mortaliter: cur ergo peccabit ex eo quòd conuicianti dicat: *Mentiris*? & quidem si pro defensione honoris licet alterum occidere, cur non & vocare mendacem?

Pag. 98. n. 2. Credo quòd per injuriam percussus possit statim repercutere, etiamsi inuasor non deberet vltra progredi, sed ad vitandam ignominiam & dedecus: posset qui colaphum, exempli gratiâ, accepit, gladio statim repercutere, non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam.

Pag. 94. n. 1. Potest etiam interfici, qui virum aliquem honoratum conuiciis & maledictis afficit, nec potest aliter cogi vt taceat; talis enim est inuasor honoris.

n. 2. Respondeo esse cuiuspiam licitum prædictum injuriantem & detrahentem notabiliter famam alterius, clam occidere, si nullâ aliâ viâ talis famæ læsionem vitare queat: in praxi tamen difficile est hoc modo defensionis vti.

Pag. 102. n. 3. Nescio ab alio quàm à Basilio Pontio improbabilem dici (opinionem asserentem patrem posse occidere filiam in adulterio deprehensam, & maritum similiter uxorem.) Me enim judice, stando authoritati, est probabilis, & stando rationi, quam debuisset percallere Basilius, certa & euidens.

C E N S V R A.

Hæ propositiones sunt falsæ, scandalosæ, & respectiue pietati, charitati & justitiæ contrariæ; vindictæ, crudelitati, & auaritiæ viam aperientes.

D E D V E L L O.

Pag. 83. n. 3. Possentque pro illa citari Doctores, asserentes honoris defendendi causâ, non solum licere acceptare Duellum absque animo pugnandi, sed etiam ad illud prouocare.

Pag. 89. n. 5. Ad vitandam infamiam, quando prudenter judicatur

non superesse aliud remedium , nisi acceptatio , & in præfixum locum egressio , quamvis sequatur congressio & ex ista mors , vel vulneratio alicujus concertantium , licetè potest acceptari. Idem dici debet de oblatione.

C E N S V R A.

Hæc Doctrina falsa est , scandalosa , contraria juri diuino & humano ; tam Ecclesiastico , quàm civili , imò & naturali.

D E P R O B A B I L I T A T E.

Pag. 27. n. 1. Ex autoritate vnus tantum posse quem illam (nempe opinionem) in praxi amplecti , licet à principiis intrinsecis falsam , & improbabilem existimet.

Pag. 28. n. 3. En quot Doctores militent pro sententia Tanneri cujus vnus autoritas sufficeret ad efficiendam probabilem.

Item , dicit idem , quod frater simplex , vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcunque opinionem voluerit ; dummodo alicujus magni Doctoris opinionem sequatur. Sic ille , & meritò. Nam vnicum grauem Doctorem constituere opinionem extrinsecè probabilem , docent quatuor super viginti Doctores.

Pag. 27. prop. 1. Quamuis opinio sit falsa , potest quilibet tutà conscientia , illam practicè sequi propter autoritatem docentis.

n. 1. Vbi cum pluribus aliis existimat , eum qui iudicat aliorum opinionem improbabilem à principiis intrinsecis , posse nihilominus ab extrinsecis , propter autoritatem docentis , iudicare probabilem , & juxta illam operari. Quæ doctrina ferè communis est inter Doctores.

Pag. 28. n. 2. Imò que si el consultante pide que le aconseje conforme a la opinion mas fauorable , peca en no hazerlo assi.

Imò si is qui sibi consuli vult , postulat vt sibi consulatur secundum opinionem omnium fauentissimam , peccat is qui consulitur (licet ejusmodi opinionem iudicet improbabilem) si morem consultantis cupiditati non gerit.

C E N S V R A.

Doctrina harum propositionum falsa est , temeraria , innumeris nouitatibus & corruptelis viam aperiens , & conscientia regulas euertens.

Pag. 191. n. 4. Puto omnia esse hodie melius examinata , & hanc ob rem , in omni materia , & præcipuè in morali , libentiùs juniores , quàm antiquiores lego , & sequor.

C E N S V R A.

Hæc propositio falsa est , temeraria , in moribus periculosa , SS. Patribus , & antiquis Doctoribus contumeliosa.

DE CHARITATE.

Pag. 66. n. 3. Et illam amplectuntur non ignobiles Magistri, atque Doctores, quando defendunt, præceptum charitatis per se tantum obligare in articulo mortis.

Pag. 68. n. 8. Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi, non esse speciale, sed generale; cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisficit.

CENSURA.

Hæc Doctrina falsa est, erronea, impia, & primo, ac maximo legis Evangelicæ mandato contraria.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

Pag. 74. n. 6. Probatum multipliciter, quod ille ordo procedendi Evangelicus, neminem obliget, ut præceptum, ut communiter accipitur à Theologis, pro lege obligante ad mortale peccatum ejus transgressores.

Frustra excipiuntur tot casus & conditiones ab illo præcepto Evangelico, quia non datur tale præceptum; cum secundum naturale præceptum Charitatis, correctio fraterna debeat regulari, &c. Tertio loco ostenditur id, quod gravius est, præceptum illud perniciosum fore, nedum inutile: præcepta verò Christi esse verè utilia, testatur ipse Dominus, Esaïæ 48. *Ego Dominus docens utilia.*

CENSURA.

Doctrina his propositionibus contenta, falsa est & temeraria, SS. Patribus contraria, & quatenus dicit fore perniciosum præceptum, si quod foret in Evangelio Mathæi cap. 18. Blasphema.

DE MISSA ET COMMUNIONE.

Pag. 127. n. 3. Dico tradentem stipendium taxatum (Sacerdoti Missam celebranti) retentâ sibi parte minori, aut etiam majori, non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, &c. Quia nulli inferitur damnum, neque injuria, sed solum fit contra simplicem prohibitionem, quod non potest esse nisi peccatum veniale.

CENSURA.

Hæc propositio, ut jacet, falsa est, & scandalosa; fauet turpi lucro, avaritiæ & injustitiæ.

Pag. 236. prop. 4. Non datur præceptum sub lethali obligans ad recipiendam Eucharistiam in articulo mortis.

Pag. 237. n. 3. Addunt alij, nullum dari præceptum diuinum Communionis, sed tantum Ecclesiasticum, ac proinde, secluso præcepto Ecclesiæ, non peccaturum, qui in totâ vitâ non communicaret.

C E N S V R A.

Doctrina harum propositionum falsa est, scandalosa, & respectu verbo Dei scripto & non scripto contraria.

D E S I M O N I A.

Pag. 113. n. 2. Non esse contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecuniâ interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. Tum quia dum, exclusis alijs, te præfert conferendo tibi beneficium, affectum ad te determinat, & se priuat potestate alteri gratificandi; quod est magno pretio æstimabile. Hæc ille, qui à fortiori tenetur idem dicere in nostro casu, cum eadem prorsus militet ratio.

Pag. 149. Non est simonia pacto expresso se obligare ad aliquid temporale pro spirituali ex gratitudine conferendum.

Pag. 150. n. 2. Ex pacto velle non est vendere spiritualia; quia pactum non mutat materiam actuum.

Pag. 152. n. 6. Non est simonia donare aliquid temporale, vel antè, vel post, ei qui exhibet aliquid spirituale, etiam cum intentione quòd donatarius moueatur ad dandum spirituale ex gratitudine. *Et inferius.* Si quis mutuum daret, non vt pretium beneficij Ecclesiastici, sed vt hac ratione prouocet amicitiam Collatoris, aut vt gratiam præstet, quam non vult præstare, nisi alter statim gratificetur conferendo beneficium, probabile est nec vsuram, nec simoniam fore.

C E N S V R A.

Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, & simoniam contra jus diuinum apertissimè approbantes, atque aliàs à sacrâ Facultate damnatæ.

Pag. 114. n. 5. Electores ad Majoratum, vel Cathedram, posse pretium accipere, vt vnum præ alio eligant, eo quòd ejusmodi prælatio, cum huic determinatæ personæ non sit debita, & aliunde sit ei valde utilis, pretio æstimabilis est.

Pag. 155. prop. 3. Qui Electores pecuniâ corrumpit, vt eum in Generalem, Prouincialem, Priorem, vel Guardianum eligant, non subiacet pœnis contra simoniacos latis.

C E N S V R A.

Hæ duæ propositiones, vt jacent, sunt falsæ, temerariæ, Iuri Canonici

co contraria, & respectu turpe lucrum, ac simoniam in Ecclesiam invehentes.

DE V S V R A.

Pag. 158. prop. 1. Mutuanti licitum est aliquid ultra sortem exigere; ratione periculi, cui in eâ recuperandâ exponitur.

Pag. eadem, n. 1. Quamvis enim vsura sit, si quis recipit aliquid ultra sortem, ratione mutui; non est vsura, si recipit ratione periculi, tantum ut pretium periculi. Et inferius. Nullus potest esse ita securus, quin possit aliquod interuenire periculum, vel saltem aliqua difficultas, vel labor in re habenda.

Pag. 160. n. 7. Licitum etiam esse mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non reperendam sortem, usque ad certum terminum.

Pag. 161. n. 10. Et si mutuans dicat, non mutuabo, nisi ultra sortem loco interesse, aliquid certum soluas, quod hoc non sit de se illicitum, apparet ex dictis.

Pag. 163. prop. 2. Licitum est mercatori credito vendere merces pretio rigoroso: v. g. 100. & statim, numeratâ pecuniâ, eas emere 80. quod est pretium infimum.

Pag. 166. n. 6. Nec etiam ad rem facit, si quis vendat ex necessitate, vel non necessitate oppressus; quia necessitas non mutat rei pretium.

n. 7. Posse aliquem emere rem vilius ab illo qui vendit necessitate compulsus, quia ex modo vendendi minuitur pretium rei, & merces efficiuntur ultroneæ.

codem. Vilescit res non solum pro tertiâ, sed etiam pro dimidiâ parte, quando quis illam vendere necessitate compellitur.

Pag. 166. n. 2. Si contractui societatis superaddantur contractus allocationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro lucro * certo, ex vi horum licitum est exigere lucrum certum, saluâ sorte.

* In Textu
Amadei
incerto,
errore Typograph.

C E N S V R A.

Doctrina harum propositionum falsa est, scandalosa, inducens ad vsuras committendas; variasque aperit artes eas palliandi; iustitiam ac charitatem violandi, & à Sacra Facultate jam damnata.

DE F V R T O.

Pag. 172. prop. 4. Licitum est tabernariis vinum aquâ miscerè; & agricolis triticum paleis, & communi pretio vendere, dummodo deteriora non reddantur eis, quæ communiter venduntur.

C E N S V R A.

Hæc propositio falsa est, bonæ fidei, & publicæ iustitiæ contraria.

Pag. 218. n. 3. Eum qui rem furtiuam à latrone accepisset, sciens esse furtiuam, non teneri ad ejus, seu fructuum restitutionem, etiamsi illis factus sit locupletior, dummodo fur non reddatur impotens ex illâ donatione ad restituendum vero domino, & res ab illo accepta sit vnico vsu consumptibilis, & materia mutui, qualis est pecunia, pannum, vinum, &c.

Pag. 109. n. 3. Vtrum ille, qui pecuniam accepit mutuò, vt redimeret se à latronibus, teneatur restituere. Cujus prima ratio difficultandi pro parte negatiuâ est. Quia tempore necessitatis omnia sunt communia, &c. Cùm ergo ille, qui in latrones incidit, fuerit in maximâ necessitate constitutus, vtpotè in periculo mortis existens, videtur quòd factum sit sibi commune aliquid, quod erat alterius, & ita non teneatur ei restituere, qui mutuauit, ac si esset proprium ejus, &c. Ergo cùm non possit per amicos à mortis periculo ab extrinseco imminente, se liberare, fient ei omnia communia.

Pag. 282. n. 4. Non solùm in extremâ, sed in graui etiam necessitate, licitum esse furari: v. g. quando est periculum amittendi honorem, & homini valdè inhonestum esset mendicare, dummodo aliter non possit sibi succurrere, & habeat animum restituendi cùm possit.

C E N S V R A.

Hæc doctrina falsa est, & temeraria, reipub. perniciosa, furibus ac furtorum consciis fauens, & abutitur author doctrinâ S. Thome.

D E I V D I C I B V S.

Pag. 113. prop. 11. Quando litigantes pro se habent opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferendâ sententiâ in fauorem vnius præ alio.

n. 1. Quia non accipitur pretium pro sententiâ, tanquam merces functionis, sed quasi compensatio pro commodo alteri parti collato, & pro illâ electione, quæ est pretio æstimabilis.

C E N S V R A.

Hæc doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, legum, & æquitatis euersua.

D E M E N D A C I O.

Pag. 111. n. 1. Falsare non est, nec peccatum mortale, amissæ scripturæ de hæreditate, aut nobilitate, aliam similem efficere. Nulli enim fit injuria.

Pag. 112. n. 3. Nota modò quòd si quis priuatam aliquam scripturam, aut syngrapham, aut apocham, quâ constaret se certæ quantitati pecuniæ mutuò acceptæ satisfecisse, falsificaret; quia aliam legitimam à conditore

conditore confectam amisisset; nec alio modo probare posset solutionem, non damnamus peccati mortalis, quia falsificationes hæ, priuatarum videlicet scripturarum, non sunt ita reipub. perniciosæ.

C E N S V R A.

Hæc doctrina falsa est, scandalosa, & reipub. perniciosa.

D E H O R I S C A N O N I C I S.

Pag. 117. n. 6. Eum, qui non potest solus recitare, non teneri admittere socium, etiam vltro se offerentem. Quia recitare cum socio est fauor vnicuique concessus, & nemo tenetur vti fauoribus inuitus.

C E N S V R A.

Hæc propositio falsa est, & in contemptum Officij Ecclesiastici, temere & ineptè excogitata, atque à debitâ ejusdem recitatione abducens.

D E I V S T I S T R I B V T I S.

Pag. 34. prop. 2. Subditi possunt iusta tributa non soluere.

C E N S V R A.

Hæc propositio falsa est, verbo Dei contraria, & seditiosa.

D E I E I V N I O.

Pag. 133. prop. 1. Qui habent priuilegium edendi oua, & lactinia in Quadragesima possunt edere lardum & sagimen.

Pag. 134. n. 3. Pueri non obligantur vsque ad duodecimum annum (abstinere à carnibus & ouis, tempore Quadragesimali) quando aliis tenentur Ecclesiæ legibus.

Pag. 135. n. 2. Materia collationis olim soli fructus erant, nunc autem sumat quilibet quod vult: nihil refert, dummodo paruitas apud pios recepta non excedatur.

Pag. 136. n. 3. Deducitur secundò sine violatione jejuniij, seruata debitâ quantitate, sumi posse oua, lactinia, &c. in vespertinâ refectiuiculâ, quando licitè comeduntur in die jejuniij. (Et inferius.) Possunt & nimium studentes, & capite debiles, qui malè cœnati non dormiunt, aliquantulò in hoc largiores esse, quibus vsque ad paris ouorum esum concedebat, neque nobis videtur in hoc largus, cum sciamus jejunium cum illis omnibus seruari posse, quæ ejus essentia, neque saluti repugnent.

Pag. 142. prop. 6. Si quis voluntate absolutâ vellet in die jejuniij sæpius comedere, semper tamen parum cibi sumendo, peccaret mortaliter, secus si voluntate conditionatâ, in quâ conditione interueniret, quòd omnes sumptiones essent veniales.

CENSURA.

Doctrina harum propositionum falsa est, scandalosa, & leges Ecclesie de jejunio infringens.

DE POENITENTIA.

Pag. 210. prop. 15. Prælatus qui ex Confessione sacramentali subditi peccata cognoscit; potest, hujus notitiæ virtute, ab officio ad nutum amouibili eum amouere.

Pag. 212. n. 8. Si pœnitens absque necessitate manifestauit in confessione complicem sui peccati, non tenetur Confessor complicitis peccatum occultare sub sigillo confessionis; & sic pro bono communi est manifestandum, sicut & alia secreta naturalia, dum tamen non explicetur pœnitens.

CENSURA.

Prima harum propositionum absolute, & secunda, ut jacet, falsa sunt, scandalosa, contraria sigillo Confessionis, & à Sacramento Pœnitentiæ auertunt.

Pag. 203. prop. 10. Defloratio virginis sponte consentientis, etiam sub patriâ potestate, malitiam tantum simplicis fornicationis continet, & per consequens circumstantiam virginittis in Confessione explicare non est necesse.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, & fauet raptoribus, patriâ potestati injuriosa, & contraria integritati Confessionis.

Pag. 208. prop. 13. Qui habuit copulam cum solutâ, satisfacit confessionis præcepto, dicens: (commisi cum solutâ graue peccatum contra castitatem) non explicando copulam.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, & erronea, Conciliis & Traditioni contraria.

Pag. 216. n. 4. Si ipse Confessarius perat quantitatem (furti) ipsum posse dicere, non teneor ad hoc confitendum.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, sinceritati, & humilitati confessionis, fini Sacramenti aduersa, atque authoritati Sacerdotis detrahens.

Pag. 225. n. 21. Non posse absolui qui nullum signum dederit, quo

videatur actualiter petere confessionem. Sentis quidem probabilissimè. Tibi enim viri doctissimi consentiunt. Et tamen te peccaturum esse mortaliter, si non mutes dictamen, assero, cum moribundo omnibus sensibus destituto, qui nullo signo externo confessionem petit, non occurris.

Pag. 224. n. 13. Quod si forè ita actualiter peccando, subito destituatur sensibus, ut non possit humanitè loquendo atteri; respondeo tunc non esse præsumendum attritum, atque adeo nec absolvendum docent communiter; sed ego sub prædictâ conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem: quia rarissimè euenit, ut tam citò sensibus quis, dum actu peccat, destituatur; itaut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem. Sic ille: & ego cum è suggestu tractatum de Pœnitentia discipulis dictavi, anno 1645. &c.

Pag. 226. n. 23. Militant etiam pro hac sententiâ Doctores alij, asserentes agoniam Catholici esse probabile signum, tum contritionis, tum voluntatis confitendi: nam ita frequenter contingit inter Catholicos.

C E N S V R A.

Doctrina his quatuor propositionibus contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, & Sacramento pœnitentia injuriosa.

Pag. 221. n. 1. Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel vsum rationis, si bene vivebat, ut bonus & fidelis, & frequentabat Confessionem & Communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo Confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato.

C E N S V R A.

Doctrina hujus propositionis uniuersim & absolutè sumpta, est in praxi periculosa.

Pag. 233. n. 5. Hanc opinionem benignam fateor; sed nescio, an benignior ea, quæ non solum dubitanti, sed certissimè etiam sibi conscio de culpa lethali concedit, licitum esse omisâ confessione, Eucharistiam sumere, etiam præsentè idoneo Confessario, si speratur idoneior, cui deuotius, & securius confiteatur.

C E N S V R A.

Hæc propositio falsa est, & contraria Concilio Tridentino,

Pag. 277. n. 17. Imò addunt alij, non solum eum, qui bonâ fide putat se habere dolorem, cum reuerà non habeat, sed etiam qui scien-

ter absque vlllo prorsus dolore accedit iudicans bonâ fide non esse necessarium, confessionem validam, & non iterandam efficere. *Et paulo inferius.* Et secundum aliquos, licet cognoscat se peccare lethalliter, accedendo scienter sine dolore sufficienti, dum de tali defectu doloris simul cum aliis peccatis se accuset. *Et inferius;* Quod de accedente etiam absque vlllo prorsus dolore tenet.

○ *Pag. 277. n. 18.* Sacramentum in non ponente obicem, suum semper habet effectum. Et saltem illum, qui confitetur cum aliqua displicentia & dolore; sed tamen scienter sine proposito vitandi lethalia, efficere Confessionem validam, & non iterandam.

Pag. 278. n. 19. Ex his, inquam, doctrinis, potest argui. Contritio est materia proxima pœnitentiæ; peccata verò materia remota; sed confessio valida est deficiente reuerà contritione: ergo & deficientibus peccatis. Potuit ergo beatissima Virgo, licet nec contritionem habuerit, nec vllum, vel leuissimum peccatum commiserit, D. Ioanni confiteri.

C E N S V R A.

Doctrina hæc, prout ab authore intenditur & infertur, falsa est, temeraria, erronea, & contraria Conciliis & Traditioni, ac Sacramentum Pœnitentiæ prorsus euacuans.

Pag. 216. n. 3. Post Concilium Tridentinum potest Parochus Sacerdotem simplicem, non approbatum ab Ordinario, exponere ad audiendas suorum Parochianorum Confessiones.

C E N S V R A.

Hæc propositio falsa est, & contraria Concilio Tridentino.

D E S V M M O P O N T I F I C E.

Pag. 177. n. 4. Ideò etiam ad fidem pertinet inhærere determinationi Pontificis Summi, in his, quæ sunt fidei, imò etiam in his, quæ spectant ad bonos mores, quia in huiusmodi etiam Ecclesia errare non potest, & consequenter, nec caput ejus, &c.

Pag. 60. n. 2. De fide esse, non posse Pontificem errare, &c. Itaut approbet, tanquam consentaneum Euangelicæ perfectioni, quod consentaneum non sit. *Et inferius pag. 61. n. eod.* Tam certa est conclusio vt oppositum non dubitem esse hæreticum.

C E N S V R A.

Doctrina his propositionibus contenta & illata, falsa est, & temeraria, Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus contraria, Vniuersitatibus, Theologicis Facultatibus, ac orthodoxis Doctoribus contumeliosa.

D E

DE CENSURIS.

Pag. 283. prop. 5. Qui Clericum occidit veneno, in cibo vel in potu, non incurrit excommunicationem.

Pag. 284. n. 1. Item, excommunicatio Canonis posita occidenti Clericum, aiunt quidam, non incurritur, illum veneno occidendo, nisi per vim illum interficeret, probant ex eo, quod lex dicat: *Si quis manus violentas*, &c. Sed non occidit illum manibus violentis, qui prædicto modo occidit, nisi per vim cogat venenum sumere: ergo.

num 3. Si verò excommunicatio lata esset contra committentes homicidium, & quis, alteri propinato veneno, ante ejus mortem resipisceret, non incurrit excommunicationem.

CENSURA.

Hæc Doctrina falsa est, temeraria, Canonibus, & Censuris Ecclesiæ illudens.

DE VOTO.

Pag. 244. prop. 2. Religiosus professus, qui judicio sibi probabili, crederet sibi factam à Deo reuelationem de dispensatione ad contrahendum matrimonium, posset licitè contrahere.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, votorum, & disciplina regularis destructiva, sacrilegiis & apostasie viam aperiens.

DE IMPURITATE.

Pag. 25. prop. 12. Furtum triginta regalium majus est peccatum, quàm sodomia.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, & piis, ac castis auribus horrorem injiciens.

Pag. 91. n. 4. Licet locare domos meretricibus, non intentione ut peccent, sed ut ibi inhabitent.

Posse seruos deferre litteras, quibus vocantur ad peccandum, & eos verbis à suâ dominâ prolatis, vocare; dum tamen neque eos ad malum incitent, sed solum simpliciter proponant verba dominæ suæ. *Et paulò post.* Si ergo hæc licent, quare non & apponere pecuniam in loco patenti, & vxori consulere, ut consanguineam visitet? Nam etsi conjuncta sint peccato, tamen secundum se, & suapte naturâ non sunt peccata, & consequenter, propter bonum finem sejungi poterunt à peccato.

CENSURA.

*Hæ doctrina falsa est, & scandalosa; pernicioſa reipub. nouis & ſu-
rilibus inuentis ad turpia inducens.*

*Pag. 8. prop. 4. Pollutio. pag. 11. prop. 6. Inter ſponſos. pag. 13. prop.
7. Sentienti. pag. 14. prop. 8. A lanugine. pag. 204. n. 3. Quare. pag. 251.
prop. 5. In conjugatis. pag. 252. prop. 6. Conjugati. pag. 253. prop. 7. Conju-
gatus. pag. 257. prop. 8. Si conjugatus. pag. 259. n. 4. Addunt. pag. 260. n. 5.
Si ergo. pag. 261. prop. 10. Si conjugatus. ibidem. n. 2. Addit. pag. 262. n. 4.
Dicit. pag. 264. n. 3. Videatur. pag. 266. n. 2. De adſtricto.*

CENSURA.

*Hæ propoſitiones (quas Sacra Facultas verbis tantum initialibus deſi-
gnandas de indiſtriâ iudicauit, ut modeſtiæ & pudori caſtarum aurium,
ac mentium conſuleret) ſunt turpes, ſcandalosæ, propudioſæ, nefandæ,
piarum aurium offenſiue, atque ab Eccleſiâ, & ab omni hominum memo-
riâ prorsus abolendæ.*

DEclarat autem Sacra Facultas, eſſi plura ex prædicto
libello ſelegerit damnaueritque, multa nihilominus ſuper-
eſſe, quæ quia aut veritati, morum integritati, caſtitati, ac
publicæ honeſtati aduerſantur, ſic & juſtâ poſſent ſigillatim
cenſuræ notâ configi. A quâ tamen huius authoris ſordi-
bus attonita abſtinuit; ^a *Ad quas Theologos non decet inaniter
eſſe curioſos,* ^b *qui nec propter libidinis malum nuptias condem-
nare; nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debent.*
Quamobrem non intendit Sacra Facultas ea probare, quæ
velut intacta reliquit: quinimmò totum hoc putidum opuſ-
culum damnat, ac reprobat, dignumque iudicat quòd æter-
næ obliuionis ſilentio ſepeliatur. Sanxit etiam Facultas diem
dicendum eſſe Doctoribus, qui eiſdem libelli approbationi
ſubſcripſerunt, uti coram eadem Facultate compareant ad
primam diem menſis Martij proximi, rationem reddituri di-
ctæ approbationis. Ac ſi comparere neglexerint, dicto die
elapſo, ex hoc ipſo, atque impræſentiarum, donec præſenti
mandato iiſdem ſignificando ſatiſfecerint, omnibus Faculta-
tis Iuribus priuat, ac priuatos declarat, eandemque Cenſu-
ram in Comitiiſ generalibus relectam & confirmatam quam-

^a S. Aug.
lib. 2. de
nupt. &
concup.
cap. 13.
^b Et lib. 1.
cap. 7.

primùm prelo committi atque euulgari jussit. Datum in
Sorbonâ die tertiâ mensis Februarij 1665.

*De mandato DD. Decani & Magistrorum dictæ Facultatis
Sacre Theologiae Parisiensis.*

P. H. BOVVOY Major Apparitor.